

XXXIII. Nam, ut ipse Auctor notat, poena veri exilii si- ve relegationis, qua quis per sententiam relegatur extra ali- quod territorium, et quod ingressus territorii illius inhibetur, durior est, & terretrem dominationem referens, quam ut ab Episcopis imponi queat.

XXXIV. Et quidem sub nomine Concilii Antiocheni referuntur in prima Collectione Decretalium apud Antonium Augustinum titulo De Clerico excommunicato ministr. c. 25. quod si Clericus excommunicatus & ab Ecclesia expulsi nihilominus in sua presumptione perseveret, atque poenas hanc contemnat, & Episcopus emendare non potuerit, Regis judicio EXILIO damnetur.

Raymundus hoc idem Decretum referens in Cap. 2. eod. post hunc judicio addidit haec: Ad requisitionem Ecclesiae, ut sit sentus: Regis judicio ad requisitionem Ecclesiae exilio damnetur. Sed sine sine hoc additamento legatur, equidem non obsecrare supponitur, quod exilio dammare sit Regiae auctoritatis & iudicii.

Idipsum supponit Clemens III. in Cap. 10. De iudiciis dicens, si Clericus ob commissum crimen depositus fuerit, & post depositionem incorrigibilis manens excommunicatus atque tandem contumacia crescente anathematis mucrone percussus, postmodum vero si in profundum marum veniens contemplerit, cum Ecclesia uos habeat ultra, quid faciat, ne possit esse ultra perditio plurimorum, per saecularem comprimendus est potestatem, ita quod ei deputetur exilium, vel alia legitima poena inferatur.

Nequaquam obscurum est, Pontificem in hac Decretali poenam exilii non inter poenas Ecclesiasticas, aut ab Ecclesia infligendas reputare; sed inter poenas per saecularem Potestatem infligendas, postquam inflicta fuere omnes poenae Ecclesiasticae; & Ecclesia non habet ultra quid faciat.

XXXV. Hinc deducunt Pragmatici, jus non esse iudici Ecclesiastico, Clericum aut laicum in exilium mittere, sed id spectare ad potestatem Regiam. Et quidem Guilielmus Benedicti ad Cap. RAYNUTIUS De Testamentis Verbo Et uxorem n. 453. asserit, suo tempore in Gallia servatam opinionem, quod iudex saecularis bannire Clericos possit, Neque id fas esse Ecclesiastico iudici non semel iudicatum fuisse testatur Choppinus lib. 2. De S. P. rit. 3. n. 12. Et in Commentario ad leges municipales Andegavensium lib. 1. c. 39. n. 5. ait: Pontifici vero iudices ideo exilio nequeunt mulctare fontes, quod protus territorio careant, et si non Diocesi, intra quam, Ditis devoto reo, piorum caetu mterdicunt. Relegatio enim fori est profana; ut execratio sacra, Ecclesiastica. Idipsum pluribus artibus confirmatum dicit Fevretius De Abusu lib. 8. c. 4. n. 11. Vide etiam Peleum in Actionibus forens. lib. 8. c. 6. ubi asserit, licitum quidem esse Superiori Regulari mittere sub obedientia Religiosum sibi subditum de uno Monasterio ad aliud: sed per modum poenae & relegationis, cum dimittere & expellere nequaquam possit.

XXXVI. Notat quoque Fevretius loco citato, fas esse Episcopo, Sacerdotes extraneos non Beneficiatos ob malam conversationem de sua Diocesi dimittere ad proprias: eo quod iuxta Canones Clerici teneantur singuli in suis propriis Diocesis deservire; nisi per Beneficium legitime alteri Diocesi sint incorporati: ideoque Episcopus similes e sua Diocesi dimittere, non relegat aut in exilium mittit, sed ad propriam Diocesim remittit.

XXXVII. Et in Cap. 3. De Crimine falsi scribit Urbanus III. cuidam Episcopo ut Clericis falsarius degradatis in signum maleficiae characterem aliquem imprimi faciat quo inter alios cognoscantur; & Provinciam ipsam eos abjurare compellens, abire permittat. Quamvis & hodie hoc modo obligare possit iudex Ecclesiasticus, ut de Provincia emigraret, tamen si absolutam poenam relegationis seu exilii decernere non possit?

XXXVIII. Non dubium quin jam pridem usitatum fuerit ut poenitentibus imponerentur nonnumquam poenitentiae corporis afflictivae; utque Episcopi & Praelati suis respecti-

ve Clericis & Monachis huiusmodi poenitentias subinde imponerent, eosque etiam corporaliter castigarent.

XXXIX. De virgaram poena ab Episcopis adhibita loquitur S. Augustinus Epist. 133. ad Marcellinum, eum exhortans, ut nolit perdere paternam diligentiam, quam in inquisitione Donacitarum servaverat: Quando (ait) tantorum scelerum confessionem non extendente eculo, non solum cantibus ungulis, non urentibus flammis, sed virgaram verberibus eruiti. Qui modus coercitionis a Magistris Artium liberalium, & ab ipsis Parentibus adhibetur, ut & saepe in iudiciis solet ab Episcopis adhiberi. Refertur apud Gratianum caus. 23. q. 3. Can. 1.

Huius correctionis meminit quoque S. Gregorius citata Epistola 66. ejusque fragmentum aliter refertur in c. 1. De Calumnias, ubi Subdiaconum calumniatorem mandat publice verberibus castigatum in exilium deportari.

XL. Verum ex citatis verbis S. Augustini manifestum est, hanc flagellationem seu castigationem fuisse adinstar paterna cujusdam correctione; sicut Parentes in filios & Magistri liberales Artium in discipulos uti consueverunt. Hanc Abbates in Monachos ex Regula praescripto jam pridem exercuisse supra part. 1. tit. 3. c. 4. notavimus. Admodum ergo verum est, Episcopos & hoc correctionis genere in junioribus Clericis paterno more primitus usos fuisse.

XLI. Duo autem in usu hujus poenitentiae Episcopis cavenda erant. Primum quidem, ut ea moderatione uterentur ut si Pastores, non percussores ostenderent.

De Episcopis circa hoc excedentibus loquitur S. Gregorius lib. 2. Epist. 52. in d. 2. dicens: Quod autem de Episcopis, qui verberibus timeri volunt, Canones dicant, bene fraternitas vestra novit. Pastores enim facti sumus, non percussores. Egregius Praedicator dicit: Argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina, Nova vero atque inaudita est ista praedicatione quae verberibus exigit fidem. Exat apud Gratianum Dist. 45. Can. 1.

Haud obscurum est, S. Gregorium hic indicare Canonem 38. vulgo Apostolorum relatum à Gratiano ibidem Can. 7. quo decernitur: Episcopum, aut Presbyterum aut Diaconum qui verberat eos qui peccant, vel infideles qui injuriam fecerunt, & per hoc vult perire, deponatur, & in omni patientia & doctrina, Nova vero atque inaudita est ista praedicatione quae verberibus exigit fidem. Exat apud Gratianum Dist. 45. Can. 1.

XLII. Quin & in Can. 25. Dist. 86. legitur: Non licet Episcopo manibus suis aliquem caedere. Hoc enim alienum à Sacerdote esse debet. Hinc post Glossam ad Cap. 24. De Sentent. Excomm. notatur Canonista, quod quidem liceat Abbati in propria persona causam regularis disciplinae verberare Monachum; non autem id licere Episcopo.

XLIII. Ad haec in hujus poenae impositione ea moderatio procedendum esse monet Alexander III. in Cap. 4. De Raptoribus, quod flagella in vindictam sanguinis minime transire videantur.

XLIV. Cum autem publica flagellatio, qualis hodie criminosis per publicum iustitiae executores fieri solet, ad vindictam sanguinis pertinere videatur, haec poena passim à foro Ecclesiastico recessit; testatur Ignatius Lopez in notis ad Praxim crim. Bernardi Dias cap. 133. eam in Curia Ecclesiastica Hispaniae non consueville imponi; asseritque quoque Julius Clarus in Practica crim. qu. 70. nu. 2. eam nec in Ducatu Mediolanensi in persona alicujus Clerici servari.

Quin & teste Fevretio per Arrestum Parlamenti Parisiensis anno 1562. ad conclusionem Advocati Fiscalis, dictum fuit male & abusive iudicasse Officiale condemnando aliquem ad fustigationem publicam; inhibitione facta omnibus Officialibus & Iudicibus Ecclesiasticis similes poenas imponere.

XLV. Si ita gravis fuerit excessus, quod mortem vel detractionem membrorum debeant sustinere, vindictam reservet Regiae potestati, scribit Alexandro III. Panor. mitano Archiepiscopo in Cap. 4. De Raptoribus.

Igitur

Igitur si Clericus de excessu & crimine adeo gravi fuerit convictus, ut poenam mortis aut truncationis membrorum mereatur non à Iudice Ecclesiastico, sed Laico huiusmodi poena infligenda erit, atque hic locum habebit quod ait Pontifex in Cap. 10. De iudiciis: Quum Ecclesia non habeat ultra quod faciat, per saecularem comprimendus est potestatem.

XLVI. Ceterum priusquam Iudici saeculari tradendus sit, prius Sacerdotali & Clericali dignitate ab Ecclesia privandus, & quasi ad Laicalem conditionem reducendus est; id est juxta hodiernam phrasim degradandus, sive de gradu & ordine deiciendus.

XLVII. Id tempore Justiniani receptum fuisse manifestum est ex ejus Novella 8. ubi declarans in Praefat. §. 2. de criminibus Civilibus Clericorum competentes iudices cognoscere addit hanc cautionem: Illud palam est, si reum esse pronuntiaverit eum qui convenitur, Praeses Provinciae, & poena judicaverit dignum; prius hinc spoliari Deo amabili Episcopo Sacerdotali dignitate, & ita sub legum fieri manu.

Voluit ergo Justinianus, Clericum de crimine civili convictum & condemnatum, prius ab Episcopo Sacerdotali dignitate spoliandum antequam per Iudicem saecularem seu legalem poenae subijci possit, sive sub legum fieri manu.

XLVIII. Porro cum de depositione Episcoporum, Presbyterorum aliorumque Ministrorum Ecclesiae agebatur, solebat causa jam pridem ad Synodum Episcoporum referri, ibique discutiri & decidi, quemadmodum testatur Synodus Hispalensis II. Can. 6. extatque apud Gratianum Caus. 15. q. 7. Can. 7. ubi dicitur: Episcopus Sacerdotibus ac Ministris solus honorem dare potest, auferre solus non potest. Si enim hi, qui in saeculo à dominis suis honorem libertatis adepti sunt, in servitutis jugum non revocantur, nisi publice apud Praetoris ac praesidis tribunal in foro fuerint accusati: quanto magis hi qui divinis Altaribus consecrati, honore Ecclesiastico decorantur? Qui profecto nec ab uno damnari nec uno iudicante poterunt honoris sui privilegium exui: sed praesentari Synodali iudicio, quod Canon de illis praecipit, desinitur.

Illud autem vel tunc praecipue obtinebat juxta Canonem 5. Nicenum, si Presbyteri alii Clerici de proprii Episcopi sententia quererentur, quam in Synodo Episcoporum totius Provinciae examinari voluit citatus Canon, uti supra sit. 10. Cap. 1. notatum est.

XLIX. Sed quia difficulter similes Episcoporum Synodi habebantur, quoties Clericorum querelae contra proprios Episcopos deferbantur, in Concilio Carthagenensi II. suggestit Felix Episcopus: secundum statuta veterum Conciliorum, ut si quis Episcopus (quod non optamus) in reatum aliquem incurrit, & fuerit nimia necessitas, non posse plurimos congregare, ne in crimine remaneat, à 12 Episcopis audiatur & Presbyter à 6. Episcopos cum proprio suo Episcopo audiatur, & Diaconus à tribus. Apud Gratianum caus. 15. q. 7. Can. 4.

Canonem hunc loqui de secunda instantia sive casu appellationis credit Zonaras; ne alias repugnet Canoni IV. Antiocheno quo supponitur, Presbyterum, aut Diaconum à proprio Episcopo sine Synodo deponi posse. Exat apud Gratianum caus. 11. q. 3. can. 61.

L. Quidquid sit, hoc certum est, Episcopos omnes, sive in Synodo sive extra Synodum cum proprio Episcopo congregatos fuisse veros Iudices causae; adhibitosque non ad solemnitatem aut formam actus duntaxat; sed ad causae examen & iudicium ferendum.

LI. Ulterius indubitarum est, hic non tantum de actuali depositione, quae hodie vulgo Degradatio dicitur; sed de quacunque depositione à sacro ministerio & dignitate Sacerdotali agi.

LII. Denique & illud sat manifestum apparet, quod dictum Canonem Carthagenensem & alios nonnullos idem decernentes, & à Gratiano eodem loco relatos Canonista intellexerint jam pridem de prima instantia: quasi is Episcoporum numerus absolutè & generaliter in depositione etiam Presbyterorum & Diaconorum necessarius esset.

Van Esten²ur. Escl. P. III.

LIII. Cum autem successu temporis iurisdicção contentiosa per solum Episcopum vel ejus Officialem exerceri coepit, etiam auctoritas depositionis Clericorum soli Episcopo ejusve Officiali attributa fuit. Ne tamen à Canonum dispositione plane recedi videretur, numerus Episcoporum dictis Canonibus Carthagenensibus expressus, sine ullo ad Synodum respectu restrictus fuit ad depositionem actualem & solemnem, quam degradationem dicimus, quemadmodum rescriptis Bonifacius VIII. in cap. 2. De poenis in 6. dicens: quod verbalis degradatio seu depositio ab Ordinibus vel gradibus Ecclesiasticis est à proprio Episcopo sibi assistente, in degradatione Clericorum in sacris Constitutorum Ordinibus, certo Episcoporum numero desinito canonibus, facienda; quanquam proprii Episcopi sententia sive aliorum Episcoporum praesentia sufficiat in degradatione eorum, qui minores duntaxat Ordines receperunt.

Hic per Canones intelligi citatos Canones Carthagenenses; & consequenter in degradatione requiri numerum Episcoporum in dictis Canonibus expressum, post Glossam uno consensu tradidit Canonista; & ita in degradatione Episcopi requiri assistentiam 12. Episcoporum, in Presbyteri sex, & Diaconi ac Subdiaconi trium Episcoporum; quod & praxis comprobavit, & in Pontificali Romano sub titulo De Degradatione expressum est.

LIV. Cum autem saepe ob Episcoporum raritatem, gravesque expensas tot Episcoporum conventus non sine difficultate, magnisque sumptibus in nonnullis regionibus haberi posset, praesertim in Germania, propter Episcoporum ibidem paucitatem; ideoque nec haec degradationis solemnitas facile peragi posset: quo fieret ut enormia Clericorum crimina impunita manerent; quin & ansa majore cum audacia crimina perpetrandi dari videretur, apud Adrianum VI. conquesti fuere Principes Germaniae art. 21. inter 100. gravamina eidem Pontifici exhibita, ubi dicunt: Et tandem ut in peccatis maleficiisque perpetrandis magis adhuc foveantur, praeter omnem aequitatis rationem, aliquatenus interdictum est Archiepiscopis, & Episcopis, ne malefactorum hos publice criminali iudicio reos agere possint, nisi prius degradatos: id quod tantis sumptibus, tantaque pompa celebrari oportet, ut propterea perquam rarissimum uncti illi malefactores meritò plectantur poena.

LV. Eandem querelam in ipso Concilio Tridentino renovarunt Episcopi Germaniae, quibus moti Patres Tridentini declararunt Sess. 13. cap. 4. De Reformat. quod Episcopus per se ad actualem atque solemnem degradationem ab ipsis Ordinibus & gradibus Ecclesiasticis, in casibus, in quibus aliorum Episcoporum praesentia, in numero à Canonibus desinito requiritur, etiam absque illis procedere liceat; adhibitis tamen, & in hoc sibi assistentibus totidem Abbatibus, usum mitrae & baculi ex privilegio Apostolico habentibus, si in civitate aut Diocesi reperiri & commode interesse possint, alioquin aliis personis in Ecclesiastica dignitate constitutis, quae aetate graves, ac juris scientia commendabiles existant.

Cum Synodas requirat, ut personae in dignitate constitutae ab Episcopo assumenda, sint juris scientia commendabiles, videtur Synodus indicare hanc Praetorem assistentiam non tantum ad solemnitatem & meram caeremoniam requiri; sed ut una Episcopo in discussione causae assistant; quemadmodum citati Canones Carthagenenses exigebant Episcoporum conventum, ut ab omnibus c. usa accusatorum discuteretur, & judicaretur, uti supra notavimus.

LVI. Ut autem Clericus, quantum fieri potest, clericali characterem ac dignitatem spoliatur, & ad statum ac conditionem laicalem reducatur, iudicatum fuit, non tantum verbaliter & per sententiam Iudicis deponendum esse Clericum Iudici saeculari tradendum, sed praemittendam esse realem exauctorizationem seu degradationem, ad exemplum ex auctorizationis ejus qui militiae deservit armata, cui militaria detrahuntur insignia, sicut & militia remotus castri ejicitur, privatus consortio & privilegio militati, ut ait Bonifacius VIII. in citato cap. 2.

LVII. Clericus igitur (pergit Bonifacius) degradandus

A a a a

114
dus vestibus sacris indutus, in manibus habens librum, vas, vel aliud instrumentum seu ornamentum ad ordinem suum spectans, ac si deberet in officio suo solemniter ministrare, ad Episcopi praesentiam adducatur, cui Episcopus publice singula, sive sint vestes, calix, liber, seu quaevis alia, quae illi juxta morem ordinandorum Clericorum, in sua ordinatione ab Episcopo fuerint tradita, seu collata singulariter auferat, ab illo vestimentum seu ornamentum, quod datum vel traditum fuerat ultimo inchoando, & descendendo gradatim degradationem continet usque ad primam vestem, quae datur in collatione tonsurae, tuncque radatur caput illius seu tondetur, ne tonsura seu clericatus vestigium remaneat in eodem.

LVIII. Deinde formam subjicit dicens: "Poterit autem Episcopus in degradatione hujusmodi uti verbis aliquibus ad terrorem illis appositis, quae in collatione ordinum sunt prolata, dicendo Presbytero haec vel similia verba in remotione Planetae: Auferimus tibi vestem Sacerdotalem, & te honore Sacerdotali privamus: sicque in remotione reliquorum insignium similibus verbis urens in ablatione ultimi, quod in collatione ordinum fuit primum infra scripto, vel alio simili modo pronuntiet sive dicat: Auctoritate Dei omnipotentis Patris & Filii & Spiritus Sancti ac nostra, tibi auferimus habitum Clericalem, & deponimus, degradamus, spoliamus, & exuimus te omni ordine, beneficio & privilegio Clericali.

LIX. Haec degradationis forma extat & in hodierno Pontificali Romano, ubi & additur, quod facta juxta praedictam formam degradatione, "si fuerit talis casus, quo degradatus tradi debeat Curiae saeculari, Pontifex degradator degradatum amplius non tangit, sed in hunc modum contra ipsum pronuntiat, dicens: Pronuntiamus, ut hunc exutum omni Ordine & privilegio Clericali, Curia saecularis in suum forum recipiat degradatum.

LX. Tandem ne ad sanguinis vindictam concurrere videatur, ex praescripto Pontificali, "tum Pontifex degradator efficaciter, & ex corde omni instantia, pro misericordia illo derelicto intercedit apud judicem saecularem, ut citra mortis periculum, vel mutilationis, contra degradatum sententiam moderetur, dicens: Domine Juxta rogamus vos cum omni affectu, quo possumus, ut amore Dei, pietatis & misericordiae intuitu, & nostrorum interventu precaminum, miserimo huic nullum mortis vel mutilationis periculum inferatis.

"Quo facto (ait Pontificale) Ministri Curiae saecularis degradatum sub sua custodia recipiunt & discedunt.

De praemissa intercessione Pontificis degradatoris pro degradato vide dicta parte 2. tit. 10. cap. 4.

LXI. Ex ipsa Decretali nec non Pontificali Romano constat, solemnem hanc degradationem etiam usitatum fuisse respectu Clericorum primae Tonsurae & Minorum Ordinum; quamvis haec a solo Episcopo sine aliorum assistentia peragi poterit.

LXII. Testatur quoque Guilielmus Benedicti ad Cap. RAYNUTIUS De Test. verbo, Et UXOREM n. 440. suo tempore communem fuisse Canonistarum opinionem, etiam simplicium Clericorum degradationem esse necessariam sed in Gallia tamen non fuisse receptam dicens: "Attamen in praesenti Regno & Curia Franciae, quoties Clericus simpliciter Tonsuratus de crimine detinetur a saeculari potestate, si delictum sit late pro quo puniendum Ecclesia non habet de jure quod faciat; ut quia delictum est ita atrox, quod Ecclesia poenam pro illo non habet condignam, his casibus per judicem saecularem puniatur absque alia declaratione seu degradatione per Ecclesiam finiendae deperditione privilegii, quo est ipso facto privatus. licet videretur, declarationem esse necessariam per Cap. CUM SECUNDUM De Hereticis in VI. & Cap. SI JUDEX De Sentent. Excom. in VI. quae jura hoc casu non servantur in Regno, nec servata fuerunt Ecclesia sciente & tolerante.

Quod de Regno Galliae testatur Benedicti, hoc & hic in Belgio obtinet, ut nimirum degradatio simplicium Clericorum exoleverit, sed Clericos in sacris constitutos restricta sit

LXIII. Hinc anno 1571. Edicto Caroli IX. Regis Galliae declaratum fuit, quod Presbyteri & promoti ad sacros Ordines non sunt afficiendi ultimo supplicio pro commissis criminibus sine praevia degradatione, nulla facta mentione simplicium Clericorum.

LXIV. Sed si recentioribus ac Modernis Galliae Pragmaticis & Scriptoribus fides sit, nec haec Caroli IX. Constitutio hodie in Gallia servatur; asserentibus, degradationem etiam Presbyterorum de enormi & privilegiato crimine non requiri, eamque in desuetudinem abiisse eo praetextu, quod Episcopi praetenderent, se non esse simplices Ministros degradationis; sed & judices criminum, seque de crimine cognoscere debere, priusquam ad degradationem procedant; uti late deducit Loyscau in tractatu De Ordinibus cap. 9. & plures citat Carolus Fevretius De Abusu lib. 3. cap. 4. qui postquam dixit, duplicem de jure esse Clericorum depositionem, unam verbalem, aliam actualem adhibitis solemnibus caeremoniis in Pontificali praescriptis, subjicit; at hoc impraesentiarum non observatur; crediturque esse sufficienter degradatos per atrocitatem criminis quod commiserunt.

LXV. In Belgio tamen rara admodum sit haec caeremonialis & solemnis ac publica Sacerdotum aut aliorum in sacris constitutorum degradatio, nihilominus in desuetudinem non abiit, diciturque & hoc saeculo ab Archiepiscopo Mechliniensi Jacobo Boone adhuc facta: neque haecenus scimus, ullum in sacris constitutum poena corporali per Judices laicos punitum sine praevia degradatione.

CAPUT II.

De Censuris in Generali.

- 1. Veteres non tam stricte & precise de censuris locuti sunt sicut recentiores.
2. Probari non potest, Veteribus tantum fuisse tres species censurae.
3. Non tantum hodierna sed & antiqua loquendi phrasim in hac materia ad intelligentiam Canonum necessariam.
4. Juxta modernam disciplinam tantum computantur tres species censurae.
5. Degradatio, depositio, similesque poena Canonicae hodie non dicuntur censurae.
6. Hinc censurae descriptio ita circumscribenda, ut praedicta excludantur, quod difficile esse agnoscunt Scholastici.
7. Traditur definitio Censurae hodie communis.
8. Non ex Canonibus, sed ex traditis communiter a Scholasticis confecta apparet.
9. Auctoritas ferendi censuras dependet ab auctoritate Clavium.
10. Hinc mulieribus competere nequit.
11. Oblat Cap. 12. De Majoritate & obedientia.
12. Communis solutio Canonistarum.
13. Merito dubitatur, num haec solutio sensus & menti Decretalis conveniat.
14. Olim dependebat auctoritas ferendi Censuras a potestate Clavium, quae etiam spectabat forum poenitentiale.
15. Neque olim separata fuit potestas Ordinis & jurisdictionis.
16. Postquam invaluit distinctio jurisdictionis fori externi & interni, auctoritas ferendi Censuras illi attributa fuit.
17. Hinc invaluit, nemini fas esse ferre Censuras, nisi habeat jurisdictionem in foro externo.
18. Auctoritas ferendi censuras refertur ad ea quae sunt jurisdictionis, & non Ordinis competentia Episcopo confirmata non dum consecrata.
19. Haec & Clericus primae Tonsurae competere possunt.
20. Unde & his potest esse auctoritas infligendi Censuras.
21. Potest haec auctoritas acquiri praescriptione & consuetudine.
22. Non potest ferri nisi in subditis.
23. Regulares tamen quamvis exempti tenentur observare Censuras ab Episcopis latas.
24. Plura de Censuris remissive.

I. Morino credimus libro 6. De Sacram. Poenit. capit. 25. num. 12. "Ars illa stricte praeciseque & secundum formam, litates logicas de Censuris Ecclesiasticis, cis loquendi & philosophandi per unde, cum & amplius saecula Ecclesiasticis auctoribus cognita non fuit. Ut enim (ait) praeteream Burcardium Wormatiensem Episcopum, & Lyonem Carnotensem Canonistam, suo tempore Cory-

re Coryphaeos, in quorum Collectionibus nihil ejusmodi deprehenditur; Hugonem Victorinum his posteriorem, tot scriptis celebrem in quibus tamen nihil ejusmodi agitur: Lombardus & Gratianus ille Theologorum, hic Canonistarum, qui ante post Ivonem quinquaginta, & saeculo duodecimo in decimum tertium jam inclinante per orbem Christianum celeberrimi fuerunt, nihil tamen scripserunt ex quo conjici possit, hunc de Censuris praecisum & artificialem loquendi modum illis fuisse cognitum; imo de Gratiano facile demonstrari posset, illi fuisse profusum incognitum, aut tunc velut paucis sic philosophantibus plane praeteritum.

II. Pergit dein Morinus: "Unde enim apud eos colligitur esse tres tantum Censuras: Depositionem & degradationem eo nomine non esse censuras: Interdictum censuram esse, non autem cessationem a divinis. Irregularitatem impedimentum esse Canonicum, non Censuram: Censuras ad forum externum pertinere, non ad internum sive Sacramentum Poenitentiae: Imo ubi apud eos ipsum Censurae nomen sit acceptum, & a caeteris poenis & impedimentis Ecclesiasticis distinctum?

III. Tamen si aliter Posteriorum Pontificum Decretales & has sequuti Recentiores Canonistae & Theologi de censuris loquantur, quam Veteres per undecim circiter saecula loquuti sunt; nihilominus nisi ad Veterum de censuris loquelam attendatur, a Canonum & Antiquorum sensu & mente saepius aberrabitur, quapropter hodierna de censuris disciplinam & loquendi phrasim ita exponam, ut tamen nec veterem tanquam inutilem & planè abolitam silentio praeteream.

IV. Caeterum secundum modernam Canonistarum & Theologorum sententiam, non nisi tres sunt species censurae Ecclesiasticae expressae in Cap. 20. De P. S. ubi quaerenti, quid per Censuram intelligi debeat, dum in litteris Apostolicis inferitur, ut per Censuram procedatur, respondit Innocentius III. "quod per eam non solum interdictum, sed & suspensionis & excommunicationis sententia valet intelligi." Nota (ait hic Glossa) quod nomine censurae Ecclesiasticae, interdictum, suspensionis & excommunicationis sententia intelligitur.

V. Glossam sequuti Canonistae & Theologi Scholastici uno consensu asserunt praeter has tres species, nullam esse Ecclesiasticam censuram: ac per consequens depositionem, degradationem, irregularitatem aliasque poenas Ecclesiasticas aut impedimenta Canonica non esse species censurae, nec nomine censurae venire.

VI. Censura igitur definienda est, & ita circumscribenda, ut tres illas species comprehendat, & reliqua jam rejecta excludantur; quod difficile esse agnoscunt passim Canonistae & Theologi Scholastici; ut propterea nec in Censurae descriptione conveniant; uti videre est apud Suarezium De Censuris Disp. 1. sect. 1.

VII. Ipse autem rejectis nonnullorum descriptionibus, eam definit: "Poena spiritualis & medicinalis, privans usum aliquorum spiritualium bonorum, per Ecclesiasticam potestatem ita imposita, ac per eandem ordinariè abolvi possit." Suarezium sequutus Vallensis tit. De Sent. Excommunicat. §. 1. num. 2. eandem definitionem allegat, & alii passim recentiores.

VIII. Si quis & hanc descriptionem criticè examinare vellet, dubito, num & eam non in multis defectuosam reperiret; equidem hoc fat certum est, hanc definitionem apud Antiquos haud reperiri, nec Veterum de Censuris phrasim & disciplinam aptatam; sed potius accommodatam iis quae post Glossas & Decretalium Interpretes Scholastici passim de Censuris tradiderunt, & in Scholis recepta erant, quemadmodum & ipse Suarezius fatetur dicens: "Haec descriptio desumpta est ex iis, quae jura & Doctores communiter de censuris tradunt: ab his enim sumenda est definitio & essentia talium rerum moralium, quae ex arbitrio hominum pendunt.

IX. Hoc omnium Canonistarum & Theologorum consensu receptum hodie est, potestatem ferendi censuras dependere a potestate clavium: ac per consequens, nulli posse

competere auctoritatem ferendi censuras, nisi habenti usum clavium.

X. Hinc ulterius concludunt, sceminis quantumvis in dignitate constitutis, non esse jus ferendi censuras: quia potestatis clavium incapaces sunt, uti docent Doctores ad cap. 10. De Poenitent. & Remiss. ubi inter alia rescribit Innocentius III. "Licet beatissima Virgo Maria dignior & excellentior fuerit Apostolis universis, non tamen illi, sed istis Dominus Claves Regni Caelorum commisit.

XI. Dicitur in Cap. 12. De Majorit. & Obedient. quod quaedam Abbatissa plerumque Canonicas suas, & Clericos sine jurisdictioni subiectos propter inobedientiam, as & culpas eorum officio Beneficioque suspendat; mandatque ibidem Pontifex Abbati S. Michaelis Abradensis Dioecesis, "quatenus dictas Canonicas & Clericos, ut Abbatissae praefatae obedientiam & reverentiam debitam impendentes, ejus salubria monita & mandata observent, Ecclesiastica censuram compellat.

Hic apparet, Pontificem agnoscere auctoritatem in Abbatissa suspendendi Clericos ab officio & beneficio: quandoquidem ad observantiam suspensionis cogendos dicat Clericos & Canonicas, qui ideo obedire renuebant, quod eadem Abbatissa excommunicare eos non posset, uti in ipsa Decretali asseritur. Itaque videtur, Pontificem, vel suspensionem illam non habuisse pro Censuras; vel putasse, dictam Abbatissam posse competere auctoritatem ferendi censuras.

XII. Verum ut hanc difficultatem evadant moderni Decretalium Glossatores & Doctores Scholastici, & Decretalem hanc cum communi de Censuris opinione concilient, dicunt, illam suspensionem non censuram, sed prohibitionem quandam, vel privationem, quae late loquendo suspensio vocari potest; uti loquitur Suarezius De Censuris Disp. 2. sect. 3. num. 6. inferque: "Tantum ergo illud erat quoddam mandatum, quod per mulierem interdum fieri potest. Unde (quod notandum est) Pontifex ibi non respondet (pergit Suarezius) servari debere censuram ab Abbatissa latam, sed praecipuum & mandatum ejus: & cuidam Abbati injungit, ut, si subditi illius Abbatissae obedire noluerint, eos per censuras obedire compellat; indicans suspensionem Abbatissae, non fuisse censuram, sed simplicem prohibitionem, seu mandatum.

XIII. An haec explanatio verbis & menti Decretalis fati quadret, nescio: illud fat constat, suspensionem antiquitus non aequè ac hodie censuris a potestate clavium dependentibus fuisse annumeratam; neque ea inter suspensionem ut est censura, & quatenus est praecipuum aut mandatum distinctionem sive subtilitatem notam fuisse.

XIV. Adhaec licet auctoritas ferendi censuras semper dependerit a potestate clavium; nequaquam erat separata a potestate clavium quae spectat forum poenitentiale internum. Nam uti capite praecedenti, & tit. 4. cap. 1. notatum fuit, forum internum sive Poenitentiale multis saeculis a foro externo sive contentioso separatum non erat; ideoque illis saeculis auctoritas ferendi censuras, spectabat quidem ad clavium potestatem, sed quae separata non erat ab ea, quae per Claves exercetur in foro poenitentiali.

XV. Ignota etiam & tunc erat distinctio inter Jurisdictionem fori interni seu Poenitentialis & Jurisdictionem contentiosam sive fori externi: sicut & illa, quae hodie usitatissima est distinctio potestatis ordinis, quae magis forum internum, & potestatis jurisdictionis, quae magis ad forum externum & contentiosum refertur, plane erat incognita.

XVI. Postquam autem distinctio fori interni, & fori externi, una cum distinctione potestatis Ordinis & jurisdictionis invaluit, auctoritas ferendi censuras ad forum externum, & potestatem jurisdictionis refertur coepit; & a potestate quae per Claves exercetur in foro poenitentiali, & spectat ad potestatem Ordinis, totaliter separari.

XVII. Hinc communi Doctorum calculo hodie probatum est, neminem posse ferre censuram virtute clavium, nisi qui jurisdictionem habeat in foro externo: nec sufficiat, quod habeat usum clavium in foro poenitentiali absolventi & retinendi peccata.